

noſtra curam, ſubiectorum negotijs adhibere cuſtodiam; quia nobis ordinantibus illa ſeri debent, quæ Regiam poſſunt demonſtrare præſentiam. aiebat Theodoricus apud Calliodorum lib. 4. 37. Qui per caliginem videt, nihil poteſt per ſe conueniens, & ex quo eius demonſtretur præſentia, in negotijs ſubditorum ordinare. Si ad iudicandum proceſſerit, iudicabit per caliginem; cum tamen Regale iudicium debeat ipſum meridianum ſplendorem exæquare. Et iudicium tuum tanquam meridiem. Pſalm. 36. v. 3. Si ergo Rex Catholicus ſuæ velit conſcientiæ conſulere, vt velle ſemperprehenditur, optet inſtrui circa iſta, & eruditionem non tantum oblatam excipiat, ſed animitus ipſe conquirat: vt qui duobus illis præ aliis gaudet titulis, vnde & alij multoties omittuntur, contentus dici *Hiſpaniarum, & Indiarum Rex Catholicus*: Hiſpanias meridiano fulgore iudicet, & Indias manu pariter & benigno conſpectu complectatur.

CAPVT IX.

An Rex Catholicus tutâ poſſit conſcientiâ eligere ad Indica officia quos velit, Regio non audito Concilio, vel ipſius iudicium non ſecutus, etiam in Eccleſiaſticis.

83 **D**ifficultas hæc omnibus, & circa omnia, communis poteſt eſſe Principibus, quibus omnino neceſſarium ſapientium eſſe conſilium, res eſt penitus explorata, pro qua multi multa. Et quæ hoc eordi fuerit Regibus noſtris, tot Conſiliorum erectorum in Curia grauiſſima & ſapientiſſima Tribunalia demonſtrant. Conſiliorum enim nomine nobilitata ſunt, etiamſi diuerſarum cauſarum deciſiones ab eiſdem progrediantur; quia pro Conſilijs Regum noſtrorum auribus ingrendis videntur quàm maximè conſtituta. Videant ergo illi quos eligant, cum non alij eſſe debeant, niſi quos in rebus momenti magni dignentur. Ne ſi ſecus fiat, minùs idoneis adlectis, id eueniat, quod apud exteri Legati relationem ad ſuam tranſmiſſam Rempubliam jam pridem me legiſſe memini: Nullibi ſcilicet plura eſſe quàm in Hiſpani Regis Curia Conſilia, & Conſilij minùs. Quod certè ex eo proceſſit animo, quem æmulatio dura ſicut infernus ſolet in extraneis peccatoribus contra Hiſpaniæ magnitudinem & gloriam inflammare. Erit autem quaſtio ſpecialis in ijs, quæ ad Indias ſpectant, ob peculiarem diſtantiæ rationem, & minoris earum notiæ, vnde maior Conſiliorum ratio videtur militare. De vtroque aliquid.

84 Dico Primò. Quædam ſunt, in quibus Rex ſuum ſequi poteſt arbitrium, officia conferens, honeſtatis ſemper habitâ ratione. Id probò; nam ſi Rex ſciat aliquem in Belgio aut Orano egregiè militaſſe, & occurrat prouiſio militaris alicuius officij, non eſt vnde oriatur impoſſibilitas talem eo ſine conſultationibus honorandi. Si enim illa requiſita, id eſſet propter notiã comparandam; quod tamen neceſſarium non eſt: *Eum enim, qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet,*

vt habet Regula 31. juris in 6. Neque obſtat pro rebus talibus Conſiliarios deſignatos: quia cum eos deſignauit, non ſibi manus ligauit Rex, quo minùs poſſit ſine illis id agere, quod rationi non conſtat aduerſari.

85 Dico ſecundò. Si officium à Rege conferendum, gubernationem concernat non parti momenti, etiamſi cum militiâ connexum, non eſt ſecura in conſcientiâ deſignatio militis ſtrenui, licet bene notus ſit Principi, ſi de illius prudentiâ & maturitate non habetur ſatisfactio. De hoc actum à me in *Epithalamio ſacro circa Titulum à num. 7.* vbi plura adduxi conſideratione digniſſima, & ad Indias ſpectantia, quæ operæ erit aliqualè pretium adiiſſe. Ratio autem eſt irrefragabilis: quia aptus ad militiam, non adeo eſt aptus ad præfecturam; ſunt enim dotes diuerſæ, & ita non ſe inuicem inferentes; pro quo & experientiæ frequentiſſimæ, non ſine magno animi dolore ſuccurrunt. Videmus enim (vt alia omittam) Chilienſe regnum, optimam Occidentalis huius Tractus portionem, hæc ex cauſa ferè deperditum, eadè multiplici, deprædatione ac deuſtatione conſimili, violatione ſacrorum, multorum captiuitate, & totalis præſentifſimo periculo ac irreparabilis amiſſionis. Hic ergo, quod de Gallia Theodoricus, cuiuslibet iſtarum poſſumus aptare Prouinciæ, dum ait: *Deſeruat viros egregios coacta cladibus ſuis, Gubernatores ſcilicet, de quibus agebat, & qualem ipſe ibidem in aliorum exemplum ſic commendat Gemellum: Firmum eſt iudicium, cuius tenetur exemplum: nec locus ambiguitati relinquatur, vbi experientia probabilia ſuſſragantur. Explorauimus efficaciam tuam per diuerſos induſtriæ gradus; ſed non imparum meruiti gratiam varijs actionibus equaliter approbatus. Hinc eſt quid præſenti tempore in Gallias, nobis Deo auxiliante ſubiectis, Vicarium re præſectorum noſtra mitti auctoritas.* Sic ille, & in cauſam præſentem opportunè, apud Calliodor. Lib. 3. 16.

86 Pro eodem iuuat P. Thomam Sancium exceipere Tomo 1. Conſiliorum lib. 2. cap. 1. dub. 36. n. 5. ſic ſcribentem; Tertiò nota non ſat eſſe electori ignorare eſſe indignum electum, ſed tenetur ſcire electum poſſit eſſe dignum, aut per ſe ipſum, aut teſtimonio ſide dignorum: & aliàs peccat mortaliter, & tenetur reſtituere damna, quia exponit ſe periculo eligendi indignum. Sic Salon ibi (ſcilicet 2. 2. quaſt. 63. fol. 1041.) & quidam docti iuniores; quorum nonnulli notant in ſuis Manuſcriptis hoc habere verum, etiam in priuatis renuntiantibus & vendentibus hæc officia, & in vendentibus ea nomine Regis; non enim vendere debent maius offerentibus pretium, ſed idoneis. Hæc ille, qui præcipuè loquitur de officijs iurisdictionem habentibus, de quibus & nos loquimur: & præcipuè locum habent in illis, qui ad gubernationem Indiarum Prouinciarum deſtinantur, quorum errores difficilem habent correctionem. Et in Eccleſiaſticis magis vrget, vt bene expendit P. Leſſius lib. 2. cap. 34. num. 56. cum Adriano quos & ſecutus videtur P. Sancius. Idem tenet, poſitiuam notiã dignitatis exigens, Dom. Zapata Parte 2. cap. 6. num. 35. & ſeqq. qui etiam cap. 15. n. 3. & Parte 3. cap. 1. num. 2. cum multis affirmat eligentem ad reſtitutionem teneri ob damna ex indigni electione ſecuta: Eccleſiæ quidem, ſi officium Eccleſiaſticum ſit: Reipu-

Milites non niſi maturitate perſpectâ gubernatores conſtituendi.

Damna ex contraria praxi permagna.

Calliodor.

Poſitiua notiã idoneitatis requiſita. P. Thom. Sancius.

Etiam in vendentibus & renuntiantibus.

Et præcipuè in Eccleſiaſticis.

Ob ligatio reſtitutionis ex omiſſione.

Calliodor.

Pſal. 36. v. 3.

Varia in Regia Curia Conſilia Conſilij ſtudiosos Reges Catholicos manifeſtant.

Aliqua officia poteſt Rex ſuo arbitrio conferre.

Reipublicæ verò, ſi ſæulare: pro quo & cap. 3. num. 5.

Benigna circa Eccleſiaſticas prouiſiones doctina. P. Sancius.

87 Dico tertiò. Circa electionem Eccleſiaſticorum benigna eſt Salonis doctina ſuprà. Fol. 1003. & ſequenti, quam P. Sancius amplexus citato capite dub. 12. num. 4. ſic dicens: *Si quis elector habet amicum vel familiarem, quem certiffimè ſcit eſſe dignum, poteſt eligere illum, quando non videt certiffimè & euidenter alium eſſe digniorem, ſed probabiliter tantum. Ratio, quia ea ceritudo, quæ nouit ſuum familiarem eſſe dignum, habitâ longâ experientiâ, præſerenda eſt opinioni, quæ habetur de maiori alterius dignitate, eſt que elector ſecurior quando nouit hunc certò dignum, de digniori verò eſt dubius.* Sic doctus Pater: juxta quæ, & alia ſuperius dicta, non tenetur Rex Catholicus in huiusmodi prouiſionibus Conſilium Indiarum aut Cameræ conſultare, ſed juxta priuatam ſcientiam prouidere. Quod quidem poteſt in Conſeſſariis, & Capellanis accedere, & in aliis aſſiſtentia frequentioris. Immo addo. Etiamſi Conſilium & Camera alium proponant, & digniorem cenſeant, non teneri ſe illis conformare, ob rationem dictam; quia ſcilicet ipſius eſt certa notiã, & ſic præualeat alteri, quæ de aliorum habetur dignitate. Licet enim Conſilij iudicium interueniat, illud probabilẽ cognitionem non excedit: niſi fortè aliqua eſſet perſona Conſiliariis nota, de qua Regi non minùs eorum de aliâ ſibi familiari conſtaret. Quo euentu quàm attestationi ſtandum eſſe videtur, quæ moralem infert certitudinem.

Rex contra Conſilij iudicium poteſt ex priuatiâ ſcientiâ procedere.

Dignior poteſt alteri officio reſeruari.

Cardinalis Lugo.

88 Sed nihilominùs dici poteſt etiam tunc certitudinem Regis eſſe maiorem, quia eſt experimentalis, quod non habet alia reſpectu ipſius, licet talis ſit reſpectu aliorum. Cum dici item poſſit, etiam ſtante æqualitate notiæ, poſſe Regem familiari ſuo gratificari, quia aliud à Conſilio propoſitum, poſtea poterit ſimili aut meliori officio donari; juxta valdè probabilem ſententiam eorum, qui dicunt, minùs dignum poſſe in dicto caſu præferri. *Non enim eſt nimis curandum, quod hic vel ille primò eligatur, cum poſſint alij prudenter reſeruari ad alia ſimilia officia, & forte meliora, citò vacatura. Neque enim magnum Eccleſiæ incommodum timeri poteſt, quod paulò ante hic quàm ille alius, qui forte dignior eſt, promoueat. Verba ſunt Cardinalis Lugo Tomo 2. de Iuſticia, Diſputat. 35. num. 25. & 48.*

CAPVT X.

An in Beneficijs ſimplicibus, quæ ſunt Regiæ prouiſionis in Indijs, & per concurſum conferuntur, poſſit Rex Catholicus minùs dignum præponere digniori.

89 **C**anonicatus aliqui ſic conferri ſoliti, vt Magiſtralis, Doctoralis, Scripturarius, & Penitentarius pro quibus ſit concurſus, & ſuffragium præſtant Prælati, & Capitulares. Suffragia autem ad Regem cum Prælatorum, & Proregis informatione mittuntur, & electo ab ipſo ac præſentato ſit Canonica collatio, juxta Eccleſiæ conſuetudinem inſtituta. De his ergo procedit difficultas. Circa quam.

nem inſtituta. De his ergo procedit difficultas. Circa quam.

Dico primò. In huiusmodi prouiſionibus grauitè delinquitur, ſi minùs dignus præferatur. Eſt receptiſſima ſententia, pro quâ videri poſſunt P. Thomas Sancius Tomo 1. Conſiliorum, lib. 2. cap. 1. dub. 3. num. 23. Vbi adducit Nauarrum, Nauarram, & Aragonem. P. Leſſius lib. 2. cap. 34. num. 68. M. Ioannes Zapata Diſſertatione de iuſticia diſtributina, Parte 1. cap. 7. qui tamen Parte 3. cap. 3. ait (in quo & conſentit Pharaonius Tract. 2. Sen. 8. Caſu. 2.) non eſſe obligationem reſtitutionis. Dom. Solorzanus lib. 3. cap. 15. n. 66. & ſeqq. Vbi quàm plures accumulatur. Et in Politicâ pag. 631. Diana Parte 2. Tract. 15. Reſol. 40. in fine; vbi licet videatur de Beneficijs Curatis loqui, juxta quaſitum in Titulo, reſolutio tamen eſt generalis, ad quam conſequenter loquitur Reſolur. 38. 5. Quarta opinio, vbi probat Beneficia ſimplicia poſſe conferri minùs dignis, quia dantur ſine concurſu, vt alios omittam. Probari poteſt

Aſſertio 1. in concurſu digniorem præferendum.

90 Primò. Quia huiusmodi Canonicatus maiorem ſufficientiam requirunt quàm Curata, vt bene expendit P. Sancius ſuprà num. 21. & ex eo infert etiam, ſecluſo concurſu, dignioribus debere conferri. Quod & tenet P. Leſſius ſuprà num. 64. & Cardinalis Lugo Tomo 2. de Iuſticia, Diſputat. 35. numer. 20. Ergo cum per concurſum nouus titulus, & quidem ſingularis æſtimationis, addatur, non poteſt minùs dignus anteferri.

1. ratio ex maiori ſufficientiâ requiſita.

91 Secundò. Nam dignior prætermiſſus grauem patitur honoris iacturam in concurſu ſuperatus; ergo ſtare illud ſine graui eligentis culpa nequit; etiamſi eligens ſit Rex, quia Reges non ſunt honoris alieni domini, & indignum eſt, vt clamant humanæ & ſacræ leges, quod inde naſcantur iniuriæ, vnde jura naſcantur. Id quod præſertim reſpectu honoris Eccleſiaſticorum eſt certum, qui & ipſe ſacer eſt, ſicut & ſpeciale ius per oppositionem adquiſitum.

2. ex honoris iacturâ, cuius Rex non eſt dominus.

Tertiò. Quia Rex concurſum ad huiusmodi prouiſiones ſtatuens ex Pontificiæ Sedis indulto, ſe ad ſequendam iuſtitiã obligauit; aliàs eſſet inutilis, cum poſſit, ſicut in Canonicatibus alijs, prouiſio fieri, aliunde habitâ ſufficientiâ notiã; ergo tenetur ſuæ ſtare promiſſioni, quæ grauitè obligat, cum ſit in re graui, ſub oneroſâ oppositionis conditione; juxta irrefragabilem Scriptorum doctinam, Regibus maximè retinendam, & Chriſtiani ante alios, ſingularique ratione Catholico, vt Regi Chriſto comprobetur ſimilis; de quo vates Euangelicus præclarum illud: *Et erit iuſticia cingulum lumborum eius; & fides cinctorum renum eius.* Iſaiæ 11. v. 5.

3. ex Regiæ prouiſione.

92 Dico ſecundò. Plura ſuffragia in caſu dicto non ſunt dignitatis maioris fundamentum, vnde poteſt Rex alium præferre, ſi aliàs æquè dignum cenſeat, propter adiunctas qualitates. Probatur: Quia ſi certum fundamentum eſſet, immeritò ſuffragia ad Regem mitterentur & Beneficia iſta tamdiu vacarent: quod enim Rex facturus eſt, poſſet facere eius locum tenens, eum præſentans, quem certiffimum eſt à Rege præſentandum, cum nequeat ille, ſi Chriſtiane acturus ſit, quidquam contrarium attentare. Cum ergo

Iſaiæ 11. v. 5.

Aſſertio 2. plura ſuffragia non ſemper obligare.



ergo ad Regem mittantur ſuffragia, ſignum manifeſtum eſt, iuxta eorum pluralitatem non eſſe neceſſario iudicandum.

Roboratur aſſertum.

94 Deinde licet ad Canoniceatus dictos ratio doctrinae praesertim habeatur, non tamen illa sola attendi debet, sed alia, ut dixi, qualitates: Atqui ista possunt aliunde cognosci, & non ex sola suffragatione habentium ius ad illam; ergo & propter illas fieri prouisione in eo, qui pauciora suffragia tulit. Praeterea, etiam si noua notitia non accedat, illa ipsa qualitates, quae in oppositoribus proponuntur, possunt aliter a Rege, adhibita consultatione, perpendi, & ex illis ipse maiorem conicere dignitatem.

Aſſertio 3. probabile esse Regem non teneri ad eligendum digniorem sub reatu mortali.

95 Dico tertio, probabile est non teneri Regem in casu dicto eligere digniorem sub onere mortalis peccati; digniorem inquam ab aliis iudicatum, etiam si nihil eorum occurrat, de quibus in Assertionem praecedenti. Quod explicatur

Ratione exigui excessus.

Primo Quia excessus potest esse paruus, ob vnum scilicet, aut aliud suffragium: quando autem talis est, minus digni praerogationem non esse mortalem communis sententia firmat. Pro quo videri potest P. Thomas Sanctius supra num. 17. ubi alios adducit. Secundo, Quia exiguus excessus existimari potest, etiam si plura suffragia sint. Demum enim esse quatuor: tunc suspicari potest, iuxta id, quod frequenter accidit, eorum aliqua non esse omnino iustificata, & fauori aut alteri humano respectui aliquid datum: unde quae restant suffragia non magnum excessum faciunt.

Et quia Rex se noluit aliter obligare.

96 Tertio. Quia Rex liberam habet prouisionem respectu simplicium Beneficiorum, & ita non tenetur digniores ad huiusmodi Canoniceatus eligere, ubi per concursum non conferuntur: Atqui non videtur inuerosimile noluisse sibi ad eod graue onus imponere, ut aliter faciens reatum aeternae damnationis incurreret. Nec propterea inutilis concursus redditur, tum quia frequentius ad plura suffragia & informationes attenditur; tum etiam quia sic promouentur litterae, oppositiois plausibili satis exercitatione. Item, quia maior sic acquiritur benemeritorum notitia, dum oppositio Regi, & Regis Consiliariis per eosdem innotescit. Concursum autem non semper esse formalem bene obseruat P. Dicastillus. Lib. 2. Tract. 2. Diss. 8. num. 154.

Qui faciunt Doctores.

97 Tandem, quia Doctores plures de Patrono laico loquentes, & eum non teneri grauius ad digniorem praesentandum affirmantes, non excipiunt praesentationes, quae ab eis post concursum fiunt. Et Nauarrus in Manuali Cap. 25. num. 57. asserit, secluso iuramento, non esse mortale eligere minus idoneos ad Cathedras, quae per oppositionem dantur. Id quod in Beneficiis etiam tradunt alij, quos adducit Dom. Solorzano Tomo 1. Lib. 3. Cap. 15. num. 69. Iuxta quae oppositio ex se grauem obligationem non infert. Et quod plus est, Concilium Tridentinum Sessione 24. Cap. 18. de Reformatione, praecipiens ut Patronus Ecclesiasticus digniorem praesentet, de laico nihil decernit tale: & tamen de concursu agit pro beneficiis Curatis. Ex quo plures inferunt Patronum laicum ad dignioris praesentationem non esse grauius obligatum. Quae omnia

Tridentinum ut innot.

Affertionem propositam satis verosimilem ostendunt. Cum autem sententia opposita communior & solidioribus sit innixa principiis, id Reges debet reddere in huiusmodi prouisione cauissimos: quod autem postremo addimus, propterea est, quia & illud verosimile, & vt non vndequaque rationale eorum arbitrium obstruamus.

CAPVT XI.

An Rex Catholicus sine lethalis culpa reatu Indos possit, aut eorum aliquos, in totalem redigere seruitutem.

S. I.

De generali seruitute Resolutio negatiua.

VT fieri id possit, videtur aperte fauere Bulla Callisti Tertij, quae incipit, Dudum, & Nicolai Quinti aliam insertam habet, in qua sic loquitur: Nos praedicta & singula debita meditatione persantes, quod cum olim praefato Alfonso Regi quoscumque Christi inimicos vbiunque constitutos, ac Regna, Ducatus, Principatus, dominia, possessiones, & mobilia bona quaecumque per eos decemta ac possessa inuadendi, conquirendi, expugnandi, debellandi, & subiugandi, illorumque personas in perpetuam seruitutem redigendi & c. alius nostris litteris plenam & liberam inter cetera commisimus facultatem. Et inferius. Litteras facultatis praefatas, quarum tenores ad verbum praesentibus litteris volumus pro insertis & c. quaecumque etiam alia ante data dictarum facultatum acquisita, & ad ea quae in posterum nomine dictorum Alfonso Regis, suorumque successorum, & Infantis, in ipsis, ac circumuicinis, & vltioribus partibus, de infidelium ac paganorum manibus acquiri poterunt, prouincias, insulas, portus, & maria quaecumque extendi, & illa sub eisdem facultatis litteris comprehendere & c. Iuxta quae videtur Pontifex Portugalliae Regibus, & consequenter Regibus Catholicis eorumque legitimis successoribus, redigendi in seruitute Indos facultatem praebuisse. Et licet in priori clausula de his tantum videatur loqui, qui inimici Christi sunt, quales dici Indi non possunt, quibus de Christo nihil vnquam fuerat annuntiatum: posterior autem de illis absque vlla dubitatione procedit, cum de acquirendis ex paganorum ac infidelium terris statuatur, etiam in vltioribus ac remotioribus partibus in quibus id omne vult locum habere, quod de aliis fuerat praemissum: & erat eorum vnum facultas redigendi in perpetuam seruitutem.

Bulla Callisti 3. & Nicolai 5. circa Indorum seruitutem.

Aſſertio 2a Indos non posse generaliter in seruitutem redigi.

Ewla In li. 3.

99 Dico primo, Indi generaliter non poterunt, nec possunt in perpetuam seruitutem redigi. Constat ex Pauli Tertij iterata declaratione: in Bulla enim, quae incipit, Dilecte fili noster, sub data Anni 1537. die 23. May, ad Cardinalem Taueram pro executione directa, sic ait: Nos igitur attendentes Indos ipsos, licet extra gremium Ecclesiae existant, non tamen sua libertate, aut rerum suarum dominio priuatos vel priuandos esse, & cum homines, ideoque fidei & salutis capaces sint, non seruitute delendos, sed praedicationibus & exemplis ad vitam inuitandos fore & c. Et in alia sub data eiusdem mensis & anni, die autem 28. ita loquitur:

Alia eiusdem.

tur: Ac volentes super his congruis remedijs provide- re praedictos Indos, & omnes alias gentes ad notitiam Christianorum in posterum deuenuras, licet extra fidem Christianam existant, sua libertate, ac rerum suarum dominio huiusmodi vti & potiri & gaudere libere & licite posse, nec in seruitutem redigi debere; ac quicquid secus fieri contigerit, irritum: ipsosque Indos, & alias gentes, verbi Dei praedicatione & exemplo bona vira, ad dictam fidem Christi inuitandos fore, auctoritate Apostolica per praesentes Litteras decernimus & declaramus. Sic Pontifex omnem circa hoc dubitationem excludens, adiiciens insuper poenas grauissimas, excommunicationis scilicet latae sententiae sibi reseruatae, & Romano Pontifici pro tempore existenti. Testatur autem ibidem a Carolo Quinto Imperatore & Rege nostro idem publico edicto prohibitum: pro quo & extant prohibitiones alicuius Catholicorum Regum, de quibus Dom. Solorzano Tomo 1. Lib. 2. Cap. 9. num. 75. & Lib. 3. Cap. 6. a num. 28. & Cap. 7. num. 56. & in Politica Lib. 2. Cap. 1.

Regum eadem.

Quomodo circa illud conciliatur.

Quando seruitus licet.

Non infenda semper rebellantibus.

Tituli amplius explicantur.

Bañez.

Ferdinandus Zurita.

100 Quid ergo? Constitutiones Apostolicae sibi esse contrariae possunt, & aliud Nicolaus & Callistus, aliud Paulus circa rem adeo grauem arbitrantur? Nullo modo. Debellationem quidem & seruitutem concedunt priores, sed iuxta formam rationabiliter temperandam; Iuris inquam naturalis, & gentium, & Christianae consuetudine regulatam. Si ita resistant, vt priuari vita possint, merito & serui possunt fieri; seruitus enim pro seruata vita succedit. Quando autem resistentia in Indi talis sit, attendit debet & Christianis peccatoribus digna consideratione pensari, neque enim quaeuis sufficit. Quid enim, si resistant Indi natura pauidi vt plurimum in aduenis incognitis, suo capiti consulentes? Quid si etiam animosiores ad spectaculum sibi formidandum, quando scilicet Hispanos milites conspexerunt? Quae consideratione cautum Regis schedulis vt Indi in seruitutem redacti, quia post datam Regi obedientiam rebellarunt, in suam vindicentur libertatem. Porque estos no se pudieron haer esclauos, aunque fue por ocasion de rebelion. Tomo 4. pag. 370. & se 19. Si ergo nec rebellantes redigi in seruitutem possunt, quantos potius ad horrendum illis aduentum resistentes? Victoria, & Sotus, quos adducit & sequitur Salon. 2. 2. Tomo 1. Col. 351. & se 19. affirmant Indos non aliter seruos fieri posse, quam si uolentibus Euangelium in his regionibus praedicare, ipsi resistant, & vti resistentibus praedicationi Euangelij bellum inferatur. Sed Bañez 2. 2. q. 10. art. 10. vers. Ex his sequitur, id non admittit, si postea barbari resipiscant; quia tale bellum cederet in scandalum Euangelij. Ferdinandus Zurita in Enchiridio Quaestionum Indiarum, Quaest. 23. Proposit. 2. vt verosimile proponit Indos, qui legatos sine saluo conductu venientes occidunt, iniustitiam non committere, si gentis sibi aduersae sint, a qua merito timere possint. Ecce quanta cum circumspectione hoc est in negotio procedendum, vt deueniatur ad casum, in quo seruitus licita esse queat. Sed quia aliqua esse potest, si videlicet ita resistentes non resipiscant, id concedit Pontifex, omnem in eo euentu scrupulum eximens, iam enim illi manifeste hostes Christi comprobantur, & cum

Mauris & Turcis numerandi. 101 Ratio autem pro Assertionem ex concessione amplissima ab Apostolica Sede Regibus Catholicis facta euidenter deducitur. Nam illa est in ordine ad conuersionem Indorum, vt ex dictis Cap. 1. & seqq. constat. Atqui ad huiusmodi finem non confert, sed obest nimium iugum seruitutis durissimum: ergo non est generaliter vt licita admittenda. Maior constat, & Minor est certa, indicaturque a Paulo Tertio, dum ait Indos non seruitute delendos, sed praedicationibus & exemplis ad vitam inuitandos: redderetur enim nimis odiosa religio, quae non nisi malo omnium maximo, morte excepta, proueniret.

Ratio Assertionis ex forma Apostolicae donationis.

102 Praeterea, Reges Catholicos Indias possident Pontificia concessione: Atqui Pontifex in concessione dicta personale Indorum dominium non concessit; ergo nequit illud nisi per summam iniuriam usurari. De Maiori constat, & Minor est manifesta ex Bullis concessionis Alexandri Sexti: in priori enim tantum terrae reperta & reperienda cum illarum dominis, ciuitatibus, castris, locis, villis &c. conceduntur. Vbi & supponitur nullum esse titulum ad inferendam seruitutem; sic enim dicitur: In quibus quamplurime gentes pacifice viuentes, & vt asseritur, nudi incedentes, nec carnibus vestentes, inhabitant; & vt praefati nuntij vestri possunt opinari, gentes ipse in insulis & terris praedictis habitantes, credunt vnum Deum Creatorem in calis esse, ac ad fidem Catholicam amplexandum satis apti videntur, speque habetur quod, si erudirentur, nomen Saluatoris Domini nostri Iesu Christi in terris & insulis praedictis facerentur. Haec Pontifex; iuxta quae planum est illum ad inducendam seruitutem contra naturae iura facultatem minime concedere voluisse, nec tale ipsi venisse in mentem: Pacificae enim viuentes, & ad Christi fidem suscipiendam satis apti, quo poterant iure in seruitutem redigi, quae, vt diximus, necis loco substituitur iusto bello inferibilis, estque post illam malorum extremum, sicut & eorum formidabile compendium. Pro quo neruose militat Fr. Ioannes de Silua in Animaduersionibus citatis fol. 16. cuius illa, inter alia verba: Ni el Papa Alexandro quando hizo a los Reyes de Castilla supremos y soberanos Monachos de las Indias, les concedio cosa alguna en perjuicio de este derecho natural, y de las Gentes. Sic ille, probans eodem loco non esse in terris huiusmodi potestatem.

Et quia in illa personale dominium non concessit.

Bulla Alexandri Sexti.

Fr. Ioan. de Sylua.

S. II.

Quomodo aliquando licita Indorum seruitus.

103 Dico secundo. Aliquando Indi redigi in perpetuam seruitutem tuta conscientia possunt. Sic citari. num. 100. & probatur: Quia Indis potest iustum bellum inferri, & ita etiam possunt occidi, si id ratio iusta defensionis admittat: ergo & serui fieri, seruitute cum morte commutata, quae est communi consensu probata doctrina. Tale autem bellum & esse potest, & iam multis retro annis experimur in regno Chilensi, vbi durum satis a stirpe genis, infidum, refractarium, quod neque huma-

Aſſertio 2a licere aliquando Indorum seruitutem.

In Chilensibus iustis.